

**De purgantibus oleosis : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Guilelmus Theodorus Kortum.**

Contributors

Kortum, Wilhelm Theodor.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Ferdinandi Nietack, 1833.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qs3vfcwf>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

13
DE
**PURGANTIBUS
OLEOSIS.**

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XIV. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
GUILIELMUS THEODORUS KORTUM.
STOLBERGA - RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

K. BECKHAUS, MED. ET CHIR. DD.
K. MEYSENBURG, MED. ET CHIR. DD.
W. FLUME, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI.
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

✓

PURGANTIBUS
OLEOSIS.

DISSERTATIO IN AUGUSTALIS MEDICAE
CONSENSU ET AUCTORITATE

„Oleis dulcibus, vel solis, vel ex arte mixtis, qui
didicit recte uti, plurimis in morbis blandum,
innoxium adjumentum ab illis habet.“

LEIDENFROST OPUSCUL. MEDIC. Vol. 1. p. 13.

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORABILIBUS
DIE XIX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCXXX.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
GUILIELMUS THEODORUS KORTUM.

OPONENTIBUS:

- L. BROCKHUIS, MRD. ET CHIR. DD.
- K. MEYERHUBER, MRD. ET CHIR. DD.
- N. PLUMME, MRD. ET CHIR. CAND.

BEROLINI

TIPIIS FERDINANDI NEUBACK

2

FRATRI OPTIMO DILECTISSIMO

C. LEONH. KORTUM

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCT., PHYSICO

REGIO APUD DURANOS

H A S C E
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR

inter connubia medicamentorum, quorum egre-
tam in plurimis iisque difficillimis, praesertim
dominis morbis efficacitatem multiplex experien-
tia comprobavit, quaeque frequentius ac vulgo fit,
usum trahi merentur, est procul dubio oleo-
rum dulcium, unguinosorum s. fixorum
vegetabilium conjunctio cum purgantibus;
operae pretium mihi visum fuit, hoc argumen-
tum in tentamine inaugurali pro virium modulo
suis paulo persequi. Observandum statim in li-
tine, olea blanda unguinosa quaevis largiori quan-
tate assumpta jam per se sola, absque ullo me-
dicinae exquisitae purgativae additamento, alvum

laxare et crebras adeo dejectiones sollicitare. In Italia, id quod a peregrinatoribus narratum memini, frequenti in usu est, instar purgantis domestici grati et commodi haurire olei amygdalarum recentis integram pintam, quae quantitas saepe largum ut plurimum effectum exserit. Etiam oleum olivarum recens, gratia ad amygdalarum oleum proxime accedens in regionibus praesertim meridionalibus eidem scopo inservit, et in febrilibus adeo et biliosis morbis, imprimis ubi oris et linguae siccitas emolliens et relaxans medicamen requirere videntur, impense laudatur.¹⁾ —

BURSERIUS²⁾ ad conatus vomendi et purgandi inanes a materia acri non turgente in febris intermittentibus commendat uncias tres vel quatuor olei olivarum vel amygdalarum frigide expressi in juscule; etiam **Ill. J. P. FRANK** al

1) Fournier apud Murray Appar. med. Vol. II. pag. 42. ed. 1.

2) Institut. med. pract. Vol. I. pag. 188. edit. Lipsiae 1787.

que in Italia degentes medici, antiquiores quoque
 r. c. Bianchi, Valcarengi, Guidetti etc.
 usum oleorum dulcium scopo laxativo frequenter
 commemorant. Videtur fere, sicca et irritabilia
 incolarum regionum calidiorum corpora medicina
 ejusmodi oleosa, blanda prae aliis, regiones sci-
 licet magis boreales inhabitantibus juvari, unde fre-
 quentior penes illos talium usus. Mox laudatus
 Burserius:³⁾ Interdum, inquit, tanta sensibili-
 tate atque irritabilitate donantur aegroti, ut metui
 possit ne emetica aut purgantia morbum potius
 exasperent. Tunc aptissimum est expiandis primis
 viis oleum olivarum optimae notae, aut seminum
 lini, aut amygdalarum dulcium sine ignis ope-
 recens expressum ad quatuor, quinque vel sex
 uncias uno haustu. Id enim duplici plerumque
 evacuatione, nimirum per superiora et inferiora,
 aegris opitulatur, acres humores obtundit, visci-
 dos tenacesque resolvit, spasticas contractiones
 laxat etc.: Quam nonnulli a rancore et exae-
 stuante vi oleorum in febribus metuunt noxam,

3) l. c. pag. 460.

pergit idem Ill. vir, nullam esse, si oleum optimae notae non rancidum sed potius recentissimum sit, eaque copia detur, ut citissime stomachum atque intestina pertranseat; cum e contra rancidum et parca copia datum diu restitendo febris fomitem utique augere et detrimentum afferre possit. — Restrungenda ex gravibus hisce a BURSERIO allatis rationibus utique mihi videntur, quae Tissot, Murray, Arnemann⁴⁾ aliique de vitando penitus oleorum unguinosorum usu in febribus inflammatoriis, biliosis, putridis praecipiant. — Huc quodammodo pertinet usus olei olivarum largus in peste curanda nostris temporibus adeo celebratus, et, ut videtur, experientia satis confirmatus⁵⁾ non externus solum per infri-
 cationem, sed et internus ad dosin usque uncia-
 rum octo et ultra, unde praeter largum sudorem vomitus etiam et diarrhoea salutaris consequitur.

conclusiones
 4) Comment. de oleis unguinosis. Gotting. 1785. pag. 19.

5) Cf. e. g. relationem Dni. Graeberg in Med.-chir. Zeitung 1822. Vol. 2. pag. 272.

Quicquid horum sit, olea unguinosa blanda mera et sola largis praebitis scopo laxativo propinare, in nostris regionibus minus usitatum est et merito quidem. Laudatur quidem e. g. oleum lini recens pressum sat larga dosi, ut nempe unciae quatuor, sex, octo, quin integra libra pedetentim absumatur, absque ullo purgantium stricte sic dictorum connubio, tanquam efficacissimum remedium in ileo pertinaci et saevo a claris etiam borealium regionum medicis, Swietenio,⁶⁾ Galleskyo,⁷⁾ Kaempfiio,⁸⁾ Lentinio⁹⁾ etc.; at multi tamen aegroti nauseosum tale medicamen tanta copia absque molestia et aucto vomitu vix ferunt, quamobrem de Haen¹⁰⁾ interne oleum amygdalarum, lini oleum vero in clysmatibus solummodo adhibuit. Universim vix suppetunt apud nos olea unguinosa tam grata palato, tamque

6) Comment. Vol. II. p. 147.

7) Abhandlung vom Miserere 1767. p. 75. sqq.

8) Enchirid. med. 1792. p. 89.

9) Beobachtungen einiger Krankheiten. 1774. p. 149.

10) Rat. med. P. II. p. 204.

blanda et insipida et pretio tam modico, ac in terris magis meridionalibus imprimis oleum olivarum et amygdalarum ex fructibus non vetustis, sed satis recentibus expressum. Ipsum oleum amygdalarum, oleorum in officinis nostris prostantium vix non blandissimum, perraro tamen omni rancore caret, et minus adhuc oleo olivarum e longinquo ad nos advecti ut plurimum ea qualitas est, ut largum ejus praebium palato nostratum arridere et absque nausea et vomitu subsequente ingeri possit, nec absque noxa inde metuenda, si primae viae jam obrutae sint saburra rancida, biliosa aliave. Et hoc magis adhuc de oleis indigenis vilioribus valet v. c. lini, napi, papaveris albi, fructuum fagi, nucum juglandium etc. licet talia, si recentia praesto sint et modica quantitate vel scopo demulcendi¹¹⁾ vel in connubio purgantium aut alternatim cum his exhibeantur,

11) Cel. Rademacher in epidemia dysenterica oleum papaveris mucilagine subactum gummi arabici idcirco elegit, quia purum, insipidum et inodorum suppetebat. (vid. Hufeland. Journ. Vol. XXXIII. St. 6. p. 92.)

egregii usus esse possint, id quod in progressu hujus tractationis pluribus patebit.

His praemissis ad scopum meum proprius accedo et ad dicendum de insigni utilitate connubii purgantis qualiscunque medicinae cum oleo hoc vel illo dulci unguinoso in permultis casibus me accingo. Et talis quidem connubii exemplum natura ipsa nobis praebet in notissimo oleo Ricini, quod imprimis illud, quod ex America ad nos affertur, praeter oleum mite, unguinosum principium simul acre et exquisite purgans in sinu vehit, et medicinam sistit multiplici usu comprobata et incomparabilem, si genuinum et bonae notae suppetat, nec vetustum nimis aut rancidum sit; de cujus amplo in praxi medica usu, si quis ullus, accurate et plenissime exposuit J. A. Murray¹²⁾, et cujus succedanea solummodo habere possent variae methodi, oleum quaecunque blandum, unguinosum in connubio purgantium exhibendi, de quibus in progressu hujus tractationis

12) Appar. med. Vol. IV. p. 210 — 221.

sermo fiet. Sed et hoc oleum Ricini, licet optimae qualitatis praesto sit, non ubivis scopo satisfacit, pluribus aegrotis, inprimis infantibus valde saepe ingratum est, et vomitum adeo haud raro movet, et in non paucis casibus, infra passim commemorandis, aliis purgantibus oleosis longe posthabendum est; accedit, quod cariori pretio veneat neque hinc pauperibus facile praescribi possit.

Ad penitus intelligendum, quibusnam in casibus connubium olei cum purgante e re esse possit et indicetur, ante omnia de effectibus olei per se absque admixto purgante adhibiti, in corpus humanum vivum dispiciendum erit. Et hic quidem compendium laboris mihi fecit Perill. Hufeland, praeceptor etiam meus aeternum venerandus, qui in brevi quidem, sed materie gravi tractatu «de insigni oleorum in medicina usu,¹³⁾» praeclare ut solet, egit, demonstrans, illa rela-

13) Journal der practischen Heilkunde, Bd. X. St. 4. p. 134. Cf. Ejusdem Bemerkungen über Blattern und Kinderkrankheiten, 1792. p. 137.

xante sua, leniente et mitigante virtute egregie convenire in doloribus et spasmodicis generis, ad quamlibet fere vehementem et dolorificam irritationem localem totius canalibus alimentariis, proin in cardialgia, colica varia, diarrhoea, dysenteria, alvi retentione, ileo, affectibus verminosis etc. inprimis etiam penes infantes tenellos, — in irritatione quavis dolorifica, spastica, inflammatoria viarum urinarum, in lithiasi, dysuria, stranguria etc. — in colica hepatica a calculis biliariis, — in affectionibus pulmonum spasmodicis, asthmate, tussi, nonnunquam et in pneumonia, haemoptysi, — ad obtundenda omnis fere generis venena — ad dolores post partum — ad erethismum partium genitalium in viris etc. — Cum jam in plurimis horum casuum morbosorum, quibus apta et opportuna, teste experientia, est olei blandi mitigans virtus inprimis iis, qui tractum primarum viarum et universim viscera abdominis affligunt, medicina etiam purgante efficaci perraro careri possit, purgantia autem natura sua non sine irritatione plus minus valida effectum suum exerant, proin, quandoque saltem, dolores et spas-

mos non possint non exasperare, a priori jam elucet, quam aptum et salutare connubium eorundem cum oleis blandis in plurimis casibus esse debeat, et tanto magis quidem, cum olea talia per se itidem alvum laxent, hinc purgantis remedii effectum nullo modo — veluti opium et varia antispasmodica alia — infringant aut impediunt; quod quidem ratiocinium numerosis medicorum practicorum testimoniis et experientia quotidiana confirmatur.

Licet maxima pars hujus effectus salutaris oleorum tribuenda utique videatur eorundem in partes vivas sensiles et irritabiles actioni blandienti, mitiganti et relaxanti, non praetervidenda tamen etiam est oleorum actio resolvens vel menstrualis in materias peccantes morbificas, non tractum solum primarum viarum occupantes pituitosas, biliosas, atrabiliarias etc. sed alias etiam; de quo argumento eximie, me iudice, in peculiari dissertatione commentatus est J. G. Leidenfrost¹⁴⁾

14) De oleorum dulcium virtute medica resolvente recus. in Ej. opusc. Vol. I. p. 109.

professor quondam Duisburgensis et medicus practicus patriae meae, regionis scilicet ad Rhenum inferiorem per semiseculum famigeratissimus. Consentit Perill. Hufeland¹⁵⁾ innuens, non ex solo irritationis lenimine, sed ex chemico etiam in materiam et organisationem influxu efficaciam oleorum explicandam esse.

Jam in eo erimus, ut varias methodos tum leniora laxantia, tum efficaciora purgantia cum oleis unguinosi conjungendi et formulas huc pertinentes a celeberrimis practicis commendatas lustremus et quodammodo dijudicare tentemus. Et quidem

1) quoad connubium oleorum cum salibus, occurrit mixtura A. G. Richteri¹⁶⁾ in hernia incarcerata ex salis Sedlicens. uncia una in novem aquae unciis soluta et aliqua olei lini recentis portione remixta, refractis dosibus, ut ne vomitum moveat, scilicet ad cochlear unum quovis horae

15) Journal der practischen Heilkunde. I. c. p. 136.

16) Abhandlung von den Brüchen. 1778. Bd. 1. p. 187. 221.

quadrante exhibenda. Oleum lini adjungit Vir ill. scopo spasmum levandi, intestina lubricandi et scybala emolliendi. Si medicina haec vomitu rejiciatur, addere jubet granum unum opii. Alio loco ¹⁷⁾ idem Auctor potionem commemorat ex aqua chamomillae, sale anglico, oleo lini, opio et Syr. papav. rhoeados. Opium tamen in tali miscela procul dubio effectum purgantem impedit, et me judice illud, id quod suadet Kaempf ¹⁸⁾ cathartici oleosis praemittendum, vel potius cum Galleskyo ¹⁹⁾ penitus omittendum. — Caeterum experientia satis comprobavit, salia media, etiam oleis juncta, in pertinaci qualicunque alvi obstructione perraro sufficere nisi efficaciora purgantia accedant aut praeeunte Ill. C. A. W. Berends ²⁰⁾

17) Chirurg. Bibliothek Bd. VIII. p. 224. Quam in novissima libri de herniis editione (Anfangsgründe der Wundarzneykunst Bd. 5.) Richter communicat, formula, quae praeter priora ingredientia insuper succum citri continet, inconcinna videtur et ex sibi nimis contrariis mista.

18) Enchir. med. p. 88. 89.

19) l. c. pag. 76.

20) Pract. Vorlesungen Bd. 3. p. 321.

Loco olei lini efficacius oleum ricinicum sale amaro mixtura combinetur.

2) Connubium olei unguinosi cum manna. v. c. Stollus²¹⁾ laudat in ileo mannae sesqui unciam cum olei amygdalarum unciis duabus in jusclo carniū et Quarinus²²⁾ in colica pictonum itidem oleum amygdalinum cum manna consociatum sed crebrius et large optimo effectu dedit. In pertinaci tamen alvi retentione a mannato tali remedio vix notabilem effectum expectaveris; in dysenteriae vero iis casibus, ubi in morbi initio blanda laxativa conveniunt, tale connubium mannae cum oleo blando valde commodum videtur.

3) Connubio olei cum rhabarbaro nil repugnat, rarius tamen in scriptis observatorum illius mentio fit. Sic v. c. Leidenfrost²³⁾ in variis, inprimis chronicis abdominis affectionibus

21) Praelect. in morb. chronic. Vol. II. p. 218.

22) Animadvers. pract. p. 253.

23) l. c. pag. 126.

miscelam talem commendat et Griffith²⁴⁾ in haemorrhagiis internis ventriculi, intestinorum, viarum urinae, pulmonis, praemissis praemittendis, plurimum extollit oleum lini frigide expressum cum sufficiente quantitate Tincturae rhei.

4) Connubium olei cum resina jalappae sistit Oleum laxativum Vogleri²⁵⁾ cuius formula haec:

℞. Resin. Jalapp. gr. IX.

Sapon. venet. gr. iij.

Olei lini ℥ jβ.

M. D. cochleatim.

quod quidem remedium Auctor tanquam succedaneum perfectum olei Ricini laudat, quin huic praefendum arbitratur. Carpit tamen eum acriter C. Tode²⁶⁾ ob hanc assertionem, cum sit solutio imperfecta resinae purgantis, nullatenus oleo Ricini naturali et genuino aequiparanda, quae etiam est sententia

24) Sammlung auserlesener Abhandlungen für pract. Aerzte, Bd. 6. p. 612.

25) Pharmac. select, ed. 2. 1785.

26) vid. Ej. Arzneikundige Annalen.

(Clmi. Voigtel. ²⁷⁾ Nihilo tamen secius hoc oleum laxativum Vogleri spernendum non est, cum sit pretii vilioris et a non paucis passim medicis practis ob effectum exoptatum in scriptis praedicetur.

5) Aliud analogon olei Ricini praebet connubium unctiae unius olei papaveris albi cum gutta una olei Crotonis, a perill. Hufeland ²⁸⁾ sub nomine olei Ricini artificialis merito laudatum, eadem dosi, ac naturale cochleatim propinandum.

6) Inter praestantissima vero et commodissima purgantia oleosa numerandum est connubium olei cum infuso foliorum sennae bonae notae ²⁹⁾ medicis patriae meae valde usitatum. Negari nequit, potius communi medicorum practico-

27) Arzneimittellehre. Bd. 1816. p. 219.

28) Journal der practischen Heilkunde 1824. mens. Februar.

29) Videtur fere, sennam hodie venalem debiliorem et minus efficacem ac pristinam, esse, qua de re plures medicos veteranos conquerentes audiivi. Forsan non amplius est vera Alexandrina ex interiori Aegypto adiecta sed alia in regionibus minus calidis nata, quae per hodiernum commercium ad nos venit.

rum suffragio evictum videtur, ab Arabum et Arabistarum aevo ad nostra usque tempora, sennam omnium purgantium hodie venalium princeps habendam esse, cum certo et tuto effectum exserat, nunquam fallat, nec tamen nimia violentia et vere drastici instar agat, multiplici connubio palato satis accepta reddi, ipsis infantibus alia pharmaca respondentibus forma infusi, coffeae cum saccharo et pauco lacte admixti, commode ingeri possit, in febrilibus etiam morbis, quando efficaciori paulo alvi subductione opus est, refrigerantibus, cremori tartari, salibus mediis, tamarindis, mannae nuptae utique locum habeat. Mirum hinc, Ill. Selle in laudatissimo suo ad hunc usque diem compendii medicinae clinicae nusquam ne verbulo quidem huius medicamenti mentionem injicere, cujus nihilominus praeparata et composita in dispensatoriis omnis aevi commemorantur, in novissimis etiam pharmacopoeis Borussicis exstant et vix non ab omnibus medicis quotidie praescribuntur. Sapientius profecto Auctores quaestionem ante hos viginti et quod excurrit, annos in Austria pro impetrandis praemiis propositarum circa succedanea indi-

gena medicaminum quorundam magni momenti exotico-
 rum, tunc temporis ob impeditum per bella
 commercium maritimum difficulter parabilium, de-
 tegenda, in quaestione IV optaverunt inventionem
 vegetabilium indigenorum, quae foliis sennae,
 tum jalappae et ipecacuanhae substitui apte pos-
 sint; quod vero praemium, quantum scio, a ne-
 mine reportatum fuit.³⁰⁾ —

Quod ad connubium sennae cum oleo attinet,
 exemplo sit sequens formula, medico mihi noto
 usualis in colica saburrali, verminosa, flatulenta,
 spasmodica etc., cum alvi retentione egregiae vix
 non semper efficaciae:

℞. Fol. Sennae ℥ ℞.

Rad. Valerianae ℥ ii.

Conc. inf. et extrah. aq. ferv. q. s.

Colat. express. ℥ vj. admisc.

Sal. Sedlic., Mannae elect., Ol. amygdal.

vel. olivar., Syrupi Althaeae singul. ℥ j.

Elaeosacchari foeniculi ℥ ij.

M. exact.

30) vid. Med. chir. Zeitung, 1809. Bd. 1. p. 111.

Cujus mixturae capiat aeger quavis hora cochlearia 2—3, antea vitrum probe concutiendo, usquedum effectus sequatur, quem optime secundant potus infusi florum chamomillae paulo calidioris, clysmata cum multo oleo, fomenta, balnea etc. Infantum et juniorum palato magis arridet simile infusum cum mero oleo amygdalarum, mucilagine gummi arabici, manna et Syrup. althaeae forma quadam emulsionis. Simpliciori etiam formula infusum sennae compos. Pharmac. Boruss. cum aliqua parte olei misceri potest. In pertinaci et dolorifico ileo Infus. sennae simpl. cum oleo ricini vitello ovi subacto et syrupo mira praestabat.

Si experiri occasio sit in ileo saevo virtutem mercurii vivi in egregio tractatu H. Ebers³¹⁾ nuper denuo celebratam, vix aptiori connubio, quam cum jusculo pingui et aliquot unciis olei amygdalarum praeunte dudum Fridr. Hoffmanno, illum propinare poteris. — Hoc loco monendum credo in casibus, ubi opportunum videtur virtutem olei unguinosi cum purgantis efficacia conjungere, neu-

31) Hufeland Journal 1829. Mai, Juni.

atiquam semper requiri aut congruum esse, ut haec
 duo medicamina mixta invicem praescribantur.
 Exoptatus effectus nullatenus deerit, licet ambo
 separatim et alternatim exhibeantur.

Pluribus hinc aliis, praeter hactenus a me enu-
 merata, purgantibus, olei virtutem adungere licet,
 v. c. pulveribus e gummi guttae in taeniam,
 pilulis ex aloë et sapone et quibusvis aliis pilulis
 purgantibus, bolo ex rheo et mercurio dulci, ele-
 ctuario anthelmintico Stoerkii, egregiae efficaciae
 medicamento etc., ita quidem, ut olea mera vel
 praemittantur (imprimis ad taeniam) purganti me-
 dicinae, vel post illam aut alterne cum ea coch-
 eatim ingerantur; cui scopo pro pauperibus quod-
 libet oleum vile indigenum, si recens suppetat e.
 g. napi, fructuum fagi, lini, papaveris albi com-
 mode inservire potest.³²⁾

Aliam adhuc observationem quoad praescrip-
 tionem oleorum silentio praeterire non possum.

33) Cf. si placet, Parentis optimi C. G. T. Kortum
 observata de curando Ileo in ejusd. Beiträge zur pract.
 Arzneik. Göttingen 1796. et in Perill. Hufeland Jour-
 nal Bd. 10. St. 2.

Mos apud medicos invaluit praecipere, ut olea quae in mixturis praescribunt, mucilagine quadam, imprimis gummi arabici aut tragacanthae, vel vitello ovorum subigantur et aqua addita emulsionis forma inde emergat. Quod quidem connubium utique medicinam palato gratiorem reddit, et si oleum maxime scopo demulcendi et leniendi praescribatur, v. c. in tussi, dysenteria, dysuria etc. e re esse potest et commendari meretur. Si e contra oleum in connubio purgantium, et ad sustentandum aut modificandum horum effectum, ordinetur, vituperandum utique est, cum efficaciam remedii haud parum infringat. Ipse observavi, unciam olei ricini in jusculo carnis vel avenaceo aut coffea aut quolibet alio simplici aquoso vehiculo assumptam alvum efficacius movisse in eodem homine, ac dupla dosis ejusdem olei vitello ovi aut mucilagine in emulsionis forma subacta. Si consideremus haud exiguam quantitatem mucilaginis requiri ad subigendum penitus oleum in formam emulsionis, id quod docent accurata Arnemanni³³⁾ «ex-

33) Comment. de oleosis unguinosi, p. 48 seq.

perimenta circa miscibilitatem oleorum unguinosorum cum aqua“ et mucilagines imprimis mimosae et tragacanthae per se solas excretionem alvinam utique retardare, earum connubium cum potionibus purgantibus largum scopo non potest non refragari. Ceterum nil refert, an oleum in miscela perfecte subactum sit, aut in vitro supernatet, si modo ante quodlibet praebium vitrum probe agitetur.

Proposueram coronidis loco colligere testimonia Auctorum probatae fidei practicorum et propria quaedam observata de insigni utilitate purgantium oleosorum in variis imprimis abdominis morbis, quorum larga messis non defuisset, perti- nens ad omnes casus qui quidem requirunt purgantia, ad peccantes qualescunque materias eliminandas, sed ubi intestina et viscera alia simul sunt irritata, spastice constricta, dolentia, inflama- mata adeo, e. c. hinc ad colicam fere omnis generis, ileum, herniam incarceratam, vermes imprimis taeniam, icterum et calculos bilia- rios, venena varia, dysuriam, colicam nephriticam, ipsam blennorrhoeam, lumbaginem rheumaticam, ileum

podagricorum, gravem et haud raro occurrentem morbum etc. Sed temporis angustiae ob plurima a me adhuc praestanda et absolvenda negotia, ut veniae artem medicam in regno Borussico exercendi compos fiam, me jubent vela contrahere et in hactenus de themate meo inaugurali non sine aliqua festinatione prolatis, licet imperfecta sint et expectationi illustrium meorum praeceptorum, ut puto, parum satisfaciant, acquiescere.

Curriculum vitae.

Ego Guilelmus Theodorus Kortum, evangelicae addictus confessioni, natus sum die vicesimo sexto M. Septembris MDCCCVIII. Stolbergae prope Aquisgranum, patre Carolo Georgo Theodoro Kortum med. Doctore, matre e Gente Schleicher cujus praematuram mortem lugeo. Primis litterarum rudimentis domi imbutus inde ab anno decimo quarto in Gymnasium quod Tremoniae floret directore cel. Kuithahn viro summopere venerando missus sum, ubi per quadriennium iis litteris, quae ad altiora studia viam muniunt, operam navavi. Dein examine abiturientium superato, testimonio maturitatis instructus almam Georgiam Augustam petii et Prorectore magnifico t. t. Cl. Thibaut die vicesimo octavo M. Octobris MDCCCXXVI. numero civium academi-

corum adscriptus sum et ducibus clarissimis
artis medicae studiis me dedi. Praelectiones
quas hic tres per annos frequentavi, hae sunt:

Ill. Schulz de logice et encyclopaedia re-
rum philosophicarum, Ill. Conradi de ency-
clopaedia rerum medicarum, Perill. Blumen-
bach de historia naturali, Ill. Schrader de bo-
tanice et pharmacologia, Ill. Maier de physice,
Ill. Stromeyer de chemia, zoochemia et phar-
macia audivi, nec defui exercitationibus che-
micis practicis, quas Ill. Stromeyer in labora-
torio academico regit. Osteologiam et syndes-
mologiam Cel. Hempel, anatomen generalem
et specialem ejusque partem neurologicam Ill.
Langenbeck, artem Cadavera rite dissecandi
Ill. Langenbeck et Cel. Hempel, anatomen
comparatam et physiologiam Perill. Blumen-
bach me docuerunt. De pathologia et thera-
pia generali praelectiones Ill. Conradi et Ill.
Himly, de nosologia et therapia speciali, de
ophthalmologia et otologia Ill. Himly interpre-
tationes frequentavi. De chirurgia generali et
speciali nec non de akiurgia Ill. Langenbeck,

de chirurgia s. d. medica Doct. Himly, de arte obstetricia Ill. Mende disserentes audivi. Ad chirurgiam practicam Ill. Langenbeck, ad praxin medicam Ill. Conradi et Ill. Himly, et ad praxin obstetriciam Ill. Mende duces mihi erant.

Autumno anni MDCCCXXIX. me ad hancce almam litterarum sedem contuli et a Rectore magnifico t. t. Ill. Klenze die XX. M. Septembris in numerum civium academicorum receptus et ab Ill. Bartels t. t. gratiosi medicorum ordinis Decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum. Praelectionibus hic per annum interfui sequentibus.

Ill. Rudolphi de anatome pathologica, Cl. Schlemm de anatomia, Ill. Wagner de medicina forensi disserentes audivi. Praeterea interpretationes clinicas medicas Perill. Hufeland, Ill. Osann et Ill. Busse, nec non Cl. Wolff, chirurgicas Ill. Rust, chirurgicas et ophthalmiatricas Gener. de Graefe, ophthalmiatricas Cel. Jüingken, obstetricias Ill. Busch, syphiliticas Ill. Kluge frequentavi.

Omnibus his viris illustrissimis, celeberrimis gratias ago quam maximas, eorumque de me magna merita pia grataque mente venerari nunquam desinam.

Jam vero tentaminibus philosophico medicoque nec non examine rigoroso absolutis, spero, fore ut dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

In fracturis cranii trepanum non semper adhibendum.

II.

Oxygenium cum azoto in aëre atmosphaerico non chemica sed mechanica lege junctum est.

III.

Asthma Millari est febris intermittens larvata.

IV.

Extractio cataractae posthabenda est ejus depressioni et reclinacioni.

V.

Sunt remedia specifica.

DE AERIS VITAE PROPRIETATIBUS

In fracturis crani respiratio non semper
obstruenda.

II.

Oxygenium cum aëre in aëre atmosphæ-
rico non chemice sed mechanice lege jun-

III.

Asthma Millini est febris intermittens hor-

IV.

Prædicto curantur posthabenda est eius
oppressioni et reclinatio.

V.

Sunt remedia specifica